et aaron et dixit ad eos. Orate pro me ad dominum et tollat ranas
a me et a populo meo. et dimittam populum; In tertia magi
cedunt et dicunt ad pharaonem. digitus dei est hoc. In quar
to per cynomiam uerberatus dicit euntes Immolate domino deo uestro.
sed non longius tendatis ire. Orate igitur pro me ad dominum.
In quinto ubi nece pecorum caeditur non solum non cedit sed
amplius induratur. Similiter et in sexto super plagam ulcerum
facit. In septimo uero cum grandine uastatur et ignibus. misit
inquit pharao et uocauit moysen et aaron et dixit illis; peccaui
et nunc dominus iustus est. ego autem et populus meus impii. Orate
igitur pro me ad dominum; In octauo cum locustis urgetur. et
festinauit inquit pharao et uocauit moysen et aaron dicens;
Peccaui ante dominum deum uestrum et in uos; suscipite peccatum meum et iam
nunc. et orate ad dominum deum uestrum;. In nono cum tenebris ob
funditur. uocauit inquit pharao moysen et aaron dicens.
Seruite domino deo uestro:. Iam uero in decimo cum primitiua hominum
extinguuntur et pecorum. uocauit inquit pharao moysen et aaron
nocte et dixit illis. Surgite et exite de populo meo. et uos
et filii israhel; Ite seruite domino deo uestro sicut dicitis. et oues et bo
ues uestros adsumentes pergite sicut dixistis:. Benedicite
autem et me; et cogebant aegyptii populum quam celerrime
exire de terra aegypti; dicebant enim quoniam omnes nos morie
mur:. Quis ille est quem repleat deus illo spiritu quo repleuit
moysen et aaron cum haec prodigia et signa perficerent.